

Alexandriæ fuere in consilio Alexandria per campanam congregato Ambaxiatores Aquenses, scilicet Obertus de Burgo consul Aquensis, & Henricus Bottaz potestati Alexandria, scilicet Petro Carrariæ, & ejusdem civitatis consiliariis redeuntes memoriæ, quod alii Ambaxiatores ex parte Aquensis communis, videlicet consules jam Alexandria venerant, & potestatem, & consiliarios ex parte communis Aquensis rogaverant, monuerant, dixerant prout melius poterant, ut castrum Meladii eis deberent restituere, quod contra jus, & etiam conditionem, & pactum, & fidem conjurationis acceperant; iterato ex parte ejusdem Aquensis eandem faciunt admonitionem eisdem, & ad memoriam reducendum fidem Ambaxiatores jusserunt inde chartam fieri. Interfuerunt testes VV. scriba Carlevarius, & Dulio Clavarius Alexandria. Ego Petrus Notarius interfui, & jussu dictorum Ambaxiatorum scripsi.

*Literæ Honorii III. absolutionis Alexandrinorum ab excommunicatione, & interdicto.*

154

MCCIX.

Anno Domini Incarnationis MCCXIX., indictione VII. die Jovis XI. exeuntis martii (1) Alexandria præsentem Henrico Sacco Clavario communis Alexandria, Uberto Serba, & D. Rainaldo Trotto, Monaco de Puteo, Gulielmo Rainerdo, Anrico de Manzo, Alberto de Bonello, Ruffino de Ottone Bello, Anselmo de Foro, Belengerio de Neblo, Baldezano Patara, D. Roglerio de Bellato, Arderico de Canzo de Mediolano, & D. Joanne de Casanova giudice potestatis Alexandria testes rogati D. Fr. Bonifacius Dei gratia abbas, & D. Fr. Vassallus prior monasterii de Tilieto a S. Pontifice delegati, cujus commissionis tenor talis est. „ Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis „ filiis Abati, & Priori de Tilieto Aquensis Diocesis salutem, & Apostolicam Benedictionem. Vobis dedisse recolimus in mandatis, ut juramentum „ ab Alexandrinis satisfaciendi de offensis præteritis „ & standi mandatis nostris reciperetis vice nostra, „ & aliam, quam prudentia vestra cognosceret cautionem, quod inde fieret, nobis per literas vestras „ intimantes. Cum igitur iidem cives standi mandatis nostris præstiterint in manibus vestris juramentum, nihilominus castrum de Bosco propter „ hoc vobis nomine nostro pignori obligantes, sicut „ literæ vestræ nobis exhibitæ continebant, & dilectos filios Rainaldum Trottum, & Ghisulfum „ Acerbum viros utique providos, & fideles ad „ nostram præsentiam destinarunt tum in observationem mandati, quod eis faciendum duceremus, „ quam ad solutionem census, quem debent Apostolicæ Sedi se humiliter offerentes, discretioni „ vestræ præsentium auctoritate mandamus, quatenus Alexandriam personaliter accedentes excommunicationis, & interdicti sententias promulgatas in „ ipsos, pro eo quod resistentibus parti Regiæ contra „ prohibitionem apostolicam adhæserunt, vice nostra „ sublato appellationis obstaculo relaxetis, & injungatis eisdem sub debito præstito juramento, ut

„ contra prohibitionem nostram, vel successorum nostrorum nulli præsumant de cætero adhærere, salvis aliis mandatis, quæ ipsis propter hoc duxerimus facienda. Ad hoc fidelitatis juramentum recipiatis nomine nostro ab eisdem, & annum censum libras XXV. papientes pro tredecim annis, quibus in ejus solutione cessarunt exigentes, & recipientes ab ipsis, conservetis ipsam pecuniam diligenter, quousque super hoc receperitis nostræ beneplacitum voluntatis. Cum autem quæ præmissa fuerint adimpleta, cives ipsius loci reddatis de bona voluntate, & gratia nostra securos publice denunciantes eos sub speciali Apostolicæ Sedis protectione manere tamquam Ecclesiæ Romanæ veros fideles, & filios speciales. „ Datum Laterani, XV. calend. decemb., Pontificatus nostri anno III. Fuerunt contenti, & confessi se recepisse, & habuisse a D. Guiffredo de Pirovano potestate Alexandria vice, & ex parte, & nomine communis Alexandria 20 libras CCCXXV. den. pap. pro censu, quo civitas, & commune Alexandria dare, & solvere tenebantur præfato D. Papæ, sive sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro XIII. annis præteritis videlicet XXV. pro quolibet anno omni exceptione non numeratæ pecuniæ renunciantes, & quod homines Alexandria juxta mandatum, & voluntatem ipsius D. Papæ fidelitatem præstiterunt, & fecerunt jam D. Papæ, & S. Romanæ Ecclesiæ secundum quod ipsi D. Abati, & Priori fidelitatem ipsam recipere fuerat a Romano Pontifice injunctum. Qui D. Abbas, & Prior ibi præsentialiter producti potestatem, & civitatem, & cives Alexandria reddidit de bona gratia, & voluntate summi Pontificis, & S. Matris Ecclesiæ securos, quod erunt sub protectione S. Romanæ Ecclesiæ, utpote fideles, & filios speciales, & quod eos ab omni sententia excommunicationis, & interdicti. Et inde hanc chartam jusserunt ut supra.

(1) *Istæ notæ haud conveniunt. Puto ego ita in primigenio exemplari scriptum MCCXIX, indict. VII., die Jovis VI. exeuntis martii.*

*Alia ejusdem Pontificis Alexandriam in suam protectionem recipientis.*

MCCXIX.

155

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis potestati, & populo Alexandrino salutem, & Apostolicam Benedictionem sacrosancta Romana Ecclesia devotos, & humiles filios ex affluente pietatis officio propensus diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater suæ protectionis munimine conservare. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis precibus inclinati civitatem vestram, & personas consistentes in ea sub B. Petri, & nostra speciali protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus, districtius inhibentes ne quis vos, & civitatem eandem præsumat indebite molestare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contravenire. Si quis ec. Dat. Romæ apud S. Petrum XII. cal. Pontificatus nostri anno III.